

152
2.

DISPVATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
NATVRAE IN CON-
SERVANDA ET RESTI-
TVENDA SANITATE
VIRIBVS

QVAM
ANNVENTE SVMMO NVMINE
CONSENSV ET AVTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORVM IN ILLVSTRI ACADEMIA
JVLIA ORDINIS
PRAESIDE

BRANDANO MEIBOMIO D.
PROFESSORE PVBLICO ET ORDINARIO
FACVLTATIS MEDICAE HODIE DE-
CANO SPECTABILI

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVI-
LEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI
PVBLICO ET SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

JOHANNES von *Sesen* / HAMBVRGENSIS.
IN MAGNO JVLEO
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
AD DIEM XVII. DECEMBRIS.

HELMSTADII,
TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII,
ACAD. TYPOGR. MDCCXIV.

athol. gen.

218,10

Sp. theop. 7204

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

BRAND AMO MEDICINAE

VIRO
NOBILISSIMO AC CONSULTISSIMO
JOHANNI^A SOM,
JURECONSULTO
INSIGNI
REIPUBLICÆ HAMBURGENSIVM
SENATORI GRAVIS-
SIMO,

PATRONO
OMNI HONORIS ATQVE OBSERVAN-
TIÆ CULTV ÆTERNVM PROSE-
QUENDO.

VIR NOBILISSIME AC CONSVL-
TISSIME

PATRONE OBSERVANDE.

Nulla alia, nisi Tui eximii in literas favoris fi-
ducia, hoc Tibi specimen offerre audeo. Quo
accedit, quod magnis atque illustribus meritis
Tuis in rem Patriae publicam, cui es à consiliis, o-
mnium civium amorem facile provocas. Denique
ipsum hoc festum tempus mihi quoque facultatem
dare videtur aliquid strenae loco dicandi Tibi.
Quod ut benignè accipias, Vir Summe, mihi que fa-
vere ac patrocinari velis, etiam atque etiam abs Te
peto, DEVM Optimum Maximum orans, ut Te
Familiamque Tuam splendidam, diu diuque floren-
tem conservet in Patriae charissimae omniumque
clientum certissimum praesidium.

VIRI NOBILISSIME AC CONSVL-
TISSIME PATRONE

Helmstadii, die 16. Decembr.
anno MDCCLXIV.

Cultor observantissimus

Joh. von Gesen.



I. N. 7.

§. I.

Naturae vox omnibus quidem notissima, significatio tamen ejus varia, & ambigua est, & alio saepe sensu Theologi, alio Jureconsulti, alio Philosophi eam usurpare consueverunt; neque vero Medici hic inter se conveniunt, aut idem planè sentiunt. Sed in horum omnium sententias disquirere animus nunc non est, videri prae aliis meretur in egregio opere de natura *Cl. Schelhamerus lib. I. cap. I. §. seqv.* Philosophi naturae nomine stupendam macrocosmi fabricam, & partium ejus admirandam *πρῶτον* atque conspirationem frequenter intelligere, Medici vero microcosmum sive humanum corpus ejusque artificiosissimam structuram ex solidis pariter ac fluidis partibus egregie concinnatam hac voce indigitare saepius solent. Hinc Celsus praef. lib. 7. corpus vocat, quod alibi naturam, siquidem, inquit, in morbis cum multum fortuna conferat, eademque saepe salutaria, saepe vana sint, potest dubitari,

A 3

tari,

tari, secunda valetudo Medicinae, an corporis beneficio contigerit, ubi inter se confert Medicinam vel artem ac fortunam & corpus sive naturam. Neque aliud quid intelligere videtur Galenus dum libr. I. de arte affirmat, Naturam suis viribus usam, quae noxia sunt, expellere, quae autem utilia, servare. Noxiorum enim ex corpore excretio sive expulsio, quae saepissime cum levamine aegri citra praescitum ejus & absque artis ope contingit, non nisi corporeae structurae beneficio, & vi legis, ad quam a sapientissimo Creatore corpus compositum est, fieri videtur. Ita enim illud condidit & propagari voluit, ut non vivere tantum, sed & bene vivere per longum temporis spatium possit. Omnes hinc & singulae corporis partes mirabili quodam artificio ita sunt constructae, ut non modo officia, quibus destinatae sunt, in statu naturali commodè peragant, sed & ad conservationem ejus quam sapientissimè conspirent; id quod cum ex aliis corporis operationibus, tum ex singulari illa facultate inprimis innotescit, quâ contenta noxia & interitum minantia vel excludit vel aliorsumponit, & proin suam, uti vocant, sanitatem sive integritatem conservat, & morbosum statum corrigit, imminentibus morbis sic resistit, & praesentes quoque abigit. Hanc igitur facultatem sive has naturae vires ad conservandam pariter ac restituendam sanitatem facientes hac dissertatione considerare nobis constitutum est. §. II.

Maxima vero talis expulsionis saepissime est necessitas, ut nisi prompte fiat, noxiorum pravitati corpus mox succumbat. Et haec dicuntur à natura fieri, cum
ab

ab ipso corpore animato fiant, cui ejusmodi data sunt instrumenta, quibus, quae sibi molesta sunt, ejicere queat & propellere. Possumus igitur sic naturam vocare facultatem quandam corpus nostrum gubernantem, conservantem & ab excrementitiis ac morbificis humoribus liberantem, naturalium operationum in illo auctorem. Haec autem facultas dependet ab ipsa corporis fabrica sapientissime à Deo ordinata, non solidis tantum partibus sed & fluidis egregie in hunc finem formatis. Idem quoque nos docet *b. H. Meibomius disp. de Consuet. Tb. I. Quicquid*, inquit, *in corpore nostro à partium omnium propria constitutione, spiritibusque imprimis & sanguine, calidoque illi inhaerente, ut moventibus dependet, & fit, illud à Natura dependere & fieri dicimus: ideoque Naturae nomine complexum aliquem variarum causarum agentium à Deo Creatore ita ordinarum intelligimus, eique non tantum in sanitatis statu tam varias ac pulcras actiones adscribimus, sed etiam valetudine afflictà Naturam morborum medicatricem cum veteri & recenti Medicorum schola agnoscimus illiusque ministros & actionum ejus omnium diligentes observatores Medici nos profiteamur.*

§. III.

Equidem Vir summus *Rob. Boyle disquisit. de Natura sect. VII. 6.* quae vulgo, inquit, adscribuntur naturae, aptius *Microcosmi atque Macrocosmi mechanismis adscribi poterunt; hoc est humani corporis atque universi.* Cui sententiae alii etiam ex modernis accedunt, & antiquissimum Naturae nomen ex Medicorum scholis proscribere conantur; sed dum à partium mechanismo talia peragi volunt,

volunt, idem quod nos dicunt, & rem ipsam nobiscum agnoscunt. Innoxium igitur & receptum in scholis nostris vocabulum nunc retinemus, & Naturae mirabiles illas actiones adscribimus, eamque in statu naturali pro conservatione sanitatis facere inutilis ac nociturae materiae excretionem, in praeternaturali morborum solutionem & proin esse morborum medicatricem cum Hippocrate agnoscimus. Idem quoque *laudatus Auctor praefat. in lib. cit.* suam in inquirendo in notionem naturae intentionem fuisse scribit, *ne divini Auctoris gloria usurparetur à creaturis*; quasi vero quicquid de creaturis dicitur, non pertineret ad ipsum Creatorem, lumenque reflexum ad eum rediret, artificiosum laudamus horologium, sed fabricator est, quem extollimus. Quando igitur Naturam artificiose & sapienter agere dicimus, à Deo, qui corpus his legibus, ut talia peragere possit, construxit, eadem fieri putamus.

§. IV.

Solet vero alias corpus nostrum hodie tanquam machina considerari, & machinam quidem esse volunt hydraulicam sive potius hydraulico-pneumaticam, quod non ex solidis tantum, sed & fluidis partibus constat; nec male facere videntur, qui universum tanquam machinam & partes ejus veluti minores machinas, seu ut rectius nos loqui docet Vitruvius, organa respiciunt. Neque hic modus considerandi corpus recens est aut veteribus incognitus, sed ab antiquissimis temporibus idem est factum, quod vel ex eo liquet, dum corporis partes organicas non Medici
tan-

tantum, sed & Philosophi nominarunt. Machina igitur non incongrue corpus nostrum vocatur, sed quae artificiosissimae fabricae eminentia in tantum humanas superat, in quantum ipsa ineffabilis divina sapientia humani intellectus imbecillitatem excedit. Habet vero id peculiare & à machinis humana arte factis in eo maxime differt, quod se à malo praeservat, ipsumque malum corrigit; & nulla unquam arte factum esse tale automatam existimamus, quod ita suis se machinis conservare, vel pulverem rotulis suis noxium ejicere aut viscidum mucum in suis canalibus natum ejicere potuerit. Sed in divina nostra machina quam variis id peragitur modis! quam mira arte noxia saepe materia expellitur! quae licet toto die fiant, non ab omnibus tamen aequè attenduntur: nobis vero quam maxime haec admirationem mereri videntur, ita ut vel ab ipsis excrementis ad supremi Numinis venerationem mentem elevare & exclamare cogamur: o natura non edocta, sapiens tamen!

§. V.

Sed videamus nunc primo vim naturae praeservatoriam, quâ noxia continuo ex corpore excluduntur ac separantur, & sic corruptio ejus impeditur, aliaque mala praecaventur. Ita illud constructum formatumque est, ut perspirabile non tantum, sed & patulum hinc inde perviumque sit ad humores inutiles & excrementitios eliminandos, quem mechanismum illustris *Boyle* *disquisit. de Natura* p. 217. § seq nobis commonstrat; eundem vero jam tum agnovit Hippocrates; dum omnia in corpore *σύρροια καὶ σύμπνοια* esse passim affirmat. Nec

B

viae

viae tantum adsunt, per quas secedere talia ex corpore possint, sed & organis eorumque partibus ejusmodi structura contigit, ut superflua vel noxia propellere & amoliri ad conservandam sanitatem possint. Fit id continuo ex toto corporis habitu mediante transpiratione insensili, quâ tenuiores partes insensibiliter sub vaporis forma per poros cutis exhalant; quae depuratio si non procedit, noxa in ipsum corpus redundat, sicuti id experientia frequens docet: & à *prohibita transpiratione matronam nobilem in febrem synocham incidisse, oborto autem sudore critico iterum convaluisse* memorat *Th. Willisus de febribus c. X. p. 201.* Sensibus vero magis obvium est, quando in humorem resoluta materia sub sudoris forma expellitur; sic enim plurima incommoda saepe praecaventur, id quod levamen ex spontaneis sudoribus emergens non obscure docet: intempestiva vero eorum suppressio arthriticos, rheumaticos affectus, dolores gravativos, asthmata, febres &c. producere solet.

§. VI.

Idem porro etiam per alias vias & patentes cavitates Natura perficit; quidem frequentius est, quam biliosam viscidam aut alio modo peccantem, vel mole sua molestam materiam in ventriculo & intestinis haerentem, nunc per superiora nunc per inferiora cum levamine corporis evacuari? & critici tales vomitus ac diarrhoeae à pluribus malis praeservant, & futuras noxas manifesto praecavent. Hinc Hippocrates aphorismo 2. sect. X. *in perturbationibus, inquit, alvi & vomitibus spontaneis, si talia purgentur, qualia oportet, confert*

fert & facile ferunt. Per vesicam vero non tantum variorum humorum saburra saepe excernitur, sed & arenulae & calculosa in renibus haerens materia, antequam calculus exinde concreascat, praeservativa excretionem evacuantur. Aliis quoque partibus molesta materia itidem per hanc viam non raro eliminatur, uti id vel observatio docere potest *Job. Zecchii Bononiensis consult. 28. p. 168.* de quodam viro, cui *urinae ardore & stillicidio cum spirandi difficultate laboranti, quoties prius illud supervenit, spirandi difficultas evidenter fuit inminuta, stranguria vero cessante asthma repetiit.* Ita sero, quod pectori molestum erat, per vesicam fluente, respiratio fuit libera. Quid per uteri vasa in foeminis singulis mensibus fiat, notissimum est, & quam salutaris hic sit fluxus & ad conservandam illarum sanitatem necessarius, vel gravia, quae suppressionem ejus comitantur, symptomata docent, & vegetus in juvenculis, quando proruperunt, color idem probat: imo epilepsia aliique graves affectus illis prorumpentibus non raro desinere solent. Et si viae naturales sint occlusae, alias sibi frequenter sanguis facit, & exitum quaerit, ita ut non raro per os, alvum, oculos, aures, gingivas &c. sanguis menstruus fuerit evacuatus, imo notante *Pechlino libr. 1. observat 38.* ex ipso vertice aliquando eruperit. Rarum etiam est, quod *Job. Rhodius cap. 3. obs. 74.* de foemina quadam notat, cui loco menstrui fluxus sudor singulis mensibus absque febre per tres dies fluebat; materia inutili sic per poros cutis exeunte, cum per consuetas vias ire non posset.

§. VII.

Neque vero in foeminis tantum abundans & inutilis sanguis evacuatur, sed & in virili corpore idem contingit, & natura sibi vias facit & à periculo oppressionis se asserere conatur, sive per nares id fiat, sive per haemorrhoides, vel alvi fluxum cruentum, vel sanguinis miſtum aut vomitum, ac sputum cruentum, corpus hoc modo levatur & imminetia mala saepissime praecaventur. Narium sane haemorrhagiae multis plethoricis ita familiares esse solent, ut consuetae quasi naturae fiant, & nunc statis periodis, in aliis vero incerto tempore cum levamine contingant. Quod si vero per aliquod tempus ita sanguis fluxerit, & intempestive supprimatur, stagnationes hinc inde fieri, partium inflammationes, dolores saepius animadvertimus. Haemorrhoidum quoque fluxum corpus a pluribus morbis praeservare experientia testatur, & sicuti *Hippocrates 6. Epid. sect. 3. 28. docet. mariscis laborantes neque morbo laterali neque pulmonario, neque phagaedena, neque furunculis, neque therminthis, fortasse vero neque lepris, neque alphis laborant.* Alibi vero haemorrhoidum fluxum prohibere vult maniam, quale exemplum in illustri quadam Persona notavit *Cl. Dn. Praeses*, cui quamdiu haemorrhoides stato & consueto tempore fluunt, bene se habet, his vero suppressis mens turbatur & mania accedit. Tabis periculum haemorrhoidum fluxu declinatum fuisse scribit *Job. Rhodius cent. 2. observat. 9.* Sanguinis miſtum una cum fluxu intestinorum cruento ex magna plethora ortum utilem & salutarem
fuis

fuisse memorat in observat. Jac. Oethaeus. Per vomitum cruentum saepe etiam abundans ac turgescens sanguis cum euphoria eliminatur, & Hippocrates sect. 7. Aphor. 37. *Quicumque, inquit, sanguinem vomunt sine febre, salutare.* Ex pulmonum bronchiis, si quis ibi praeter naturam cruor haereat, per os etiam cum sputo solet ejici, nec sanguis tantum, sed & alii viscidii, crassi, serosi humores cum notabili levamine ita frequenter excernuntur. Id quod in catarrhalibus affectibus per alios etiam ductus saepissime contingere solet, dum separata in glandulis serosa materia hinc inde eliminatur, & imminentes morbi sic praecaventur. Et plures etiam tales excretionis praeservatoriae possent recenseri, si necesse esset, saepissime enim occurrunt, & frequentius forte, quam in sensus incidunt, vel ab incuriosis annotantur. Quemadmodum vero excretionis materiae noxiae morbos futuros sive imminentes fieri prohibent, eorumque principiis obsistunt, ita eadem jam factas aegritudines saepe numero auferunt, quas etiam nunc considerabimus.

§. VIII.

Solutiones igitur curatoriae sive morborum medicatrices, quae ipsos morbos jam natos tollunt, non minus frequentes sunt quam praeservatoriae, & toto die medicinam facientibus occurrunt; excretionis vero hinc inde ex variis locis fieri deprehendimus, & siquidem capitis partes affectae fuerint, saepius per nares vel aures vel palatum, imo dentium alveolos, oculos, cranii poros contingere solent. Ita phrenitidem per nares ac aures solutam observavit,

Job. Rhodius cent. 1. obs. 8. & ibidem per majorem oculi angulum eandem solutam fuisse memorat. Cephalalgiam per rejectionem vermium ex naribus sublatam describit *Job. Schenckius in observ. de dolore cap. p. 53.* Aliam vero à multis annis durantem per lapidis ex naribus excretionem levatam p. 51. proponit. Ab abscessu cerebri quatuor libris puris per nares ac aures evacuatis aegrum sponte fuisse liberatum testatur *Horat. Augenius lib. 8. epist. 1.* Vertiginem ingenti purulentae materiae quantitate per dentium alveolos & os excreta, sublatam proponit *Job. Schenckius in obs. p. 58.* Imo etiam per alvum aliquando evacuatur materia capiti molesta & in ophthalmia aliisque oculorum affectibus alvi solutiones salutare frequenter deprehendimus: notabile vero est, quod de mydriasi sive dilatatione pupillae *libr. 6. cap. 6. §. 37.* *Celsus* scribit, videlicet quosdam inde sine manifesta causa fuisse occaecatos: ex quibus nonnulli, uti paullo post subjungit, cum aliquando nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperunt.

§. IX.

In pectore haerens materia morbosa aequè frequenter naturae vi evacuatur, ac sanitas restituitur, & quidem variis modis. Saepius id fit per vias proximas, canales scilicet expectorationi dicatos. Ita calculum tussi rejectum notat *Job. Rhodius cent. 2. obs. 3.* Varios item lapillos mediante aspera arteria excretos fuisse *Stalp. v. d. Wiele cent. 1. obs. 28. testatur.* Pleuritis ut & peripneumonia, empyema frequentissime testante quotidiana experientia hoc modo solvuntur

tur

tur & pus in pectore haerens feliciter sic evacuatur. Per remotiores autem vias idem quoque contingit; Pleuritidem enim per urinam terminatam notat. *Job. Rhodius cent. 2. obs. 13.* Pus ex pectore proveniens per renes vesicamque emissam fuisse testatur *Stalp. v. d. Wiele cent. 1. obs. 35.* Pectoris abscessus pleuritidem secutus per urinam judicatus recensetur in *Zodiaco Med. Gall. mens. Sept. obs. 4.* Empyema per alvum, urinam, os & uterum successive fuisse evacuatum narrat *Job. Nic. Binniger libr. 5. obs. 68.* Pulmonis abscessus per urinam, thoracis per alvum evacuatus notatur à *Joh. Schenkio in obser. v. p. 275.* Phthisis criticè per salivationem sublata refertur in *Misc. A. N. C. dec. 2. A. 1. obs. 122.* Senem pleuriticum diarrhoea superveniente liberatum fuisse memorat *Panarolus obs. 36.* Aliquando etiam extra thoracis cavitatem alibi subsistens vitiosa materia mediante expectoratione evacuatur. Sic pedis quondam ulcus, quod a tribus annis strictum erat, regurgitante ad pectus materia & pleuritidem creante per puris ex ore rejectionem unicum pleuritide sanatum in hujus urbis cive observavit *Cl. D. Praeses.* Et quartanam pertinacem superventu pleuritidis per expectorationem terminatam testatur *Ol. Borrichius Act. Hafn vol. 4. 71.*

§. X.

In abdomine si contineatur materia vitiosa, Naturaitidem excretionibus & quidem ex singulis ferme visceribus per varias vias facit. Sic abscessum hepatis per vomitum, alium vero per urinam expurgatum notat *Job. Schenckius obs. libr. 3. pag. 451.* Per diarrhoeam ve-

ro

ro sanatum hepatis apostema legitur in *Ephem. Germ. D. 11. A. 10. obs. 97*. Calculos in liene genitos per vomitum excretos fuisse memorat *Laz. Riverius obs. commun. 6*. Lienis tumore quidam per annos 15. laborans bis aut ter per urinae profluvium atramento simile liberatus legitur apud *Job. Schenckium obs. libr. 3. 469*. Ex abscessu renum substantia per urinam expurgata recensetur in *Misc. A. N. C. D. 2. A. N. obs. 183*. Calculos à renibus profectos per anum excretos fuisse memorat *Laz. Riverius obs. comm. 4*. In vesica vermis natus dolorem & cruentam mictionem excitans per penem exclusus, & hinc aeger à morbo liberatus legitur apud *Job. Schenckium obs. libr. 3. p. 551*. Urina obstructa urethra per alvum emissa & obstructione sublata ordinariam viam repetens observata fuit à *Joh. Rhodio cent. 2. obs. 90*. Utero ablato menses per anum viam inveniunt & stato tempore fluentes observavit *Fel. Platerus obs. l. 3. p. 746*. Adolescens asciticus binis vomitibus spontaneis liberatus legitur apud *Marc. Donatum histor. mir. libr. 4. cap. 21*. Nummus deglutitus & post duos menses vomitu rejectus refertur in *Misc. A. N. C. Dec. 2. A. 9. o. 47*.

§. XI.

Uti vero vasorum sanguineorum apertio ad praecavendos morbos, sicuti superius dictum, frequenter facit, ita etiam non pauci morbi ruptis hinc inde & referatis iisdem critice solvuntur vel sponte naturae curantur. Saepius id fieri observamus in febribus, in aliis tamen morbis idem quoque contingit. Febrim acutam continuam 14. die per fluxum narium ter-

ter-

terminatam habet *Forestus lib. 2. obs. 8.* & ardentem febrem 7mo die per haemorrhagiam narium solutam recenset *lib. 2. obs. 21.* Febris continua eodem modo sublata legitur apud *Schenckium libr. 6. p. 811.* In hydrope, haemorrhagia narium salutaris memoratur in *Epher. Nat. cur. D. 2. A. 4. obs. 170.* Sternutationem diuturnam haemorrhagia narium solutam notat *V. Riedlinus lin. Med. 95. p. 147.* Gravissimam maniam his venis reseratis solutam olim in nobili quodam observavit *b. H. Meibomius*, & quod rarius est, luem veneream oborto fluxu haemorrhoidalium plethorico quodam curatam Idem notavit. Arthriticum graviter decumbentem apertis sponte haemorrhoidibus & limpidissimo sero ad plures libras effluente sanatum fuisse in *litteris ad amicum refert Theod. Conerding Archiater quondam Guelfh. eruditissimus.* Mulier vero quaedam ex scabie in melancholiam incidens lochiornum fluxu sanata legitur in *Ephem. Ac. Nat. cur. D. 2. A. 2. obs. 187.* Sanguineam pleuritidem per sputum & dein per menses critica evacuatione solutam fuisse memorat *Joh. Schenckius in obser. v. pag. 264.* Dysenteria per mensium fluxum sublata legitur in *Eph. Natur. cur. D. 2. A. 5. obs. 57.* Pleuritides quasdam ante septimanam per sanguinis mictum iudicatas & solutas notat *Schenckius in obser. v. p. 264.* Haemorrhagia uteri in septuagenaria salutaris memoratur in *Ephem. Nat. cur. Dec. 2. A. 8. obser. v. 47.*

§. XII.

Ad habitum denique corporis materia vitiosa hinc inde haerens non raro defertur, & per cutis po-

C

ros

ros eliminatur, neque tantum per sudores id contin-
 git, sed & per pustulas, vesiculas elevatas, scabiem pro-
 trusam & abcessus. Sudoribus criticis febres varii ge-
 neris solvi notissimum est, alii tamen morbi eodem mo-
 do solvuntur. Sic pleuritidem oborto sudore subla-
 tam notat *Job. Rhodius cent. 2. obs. 14.* Hydropicum
 spontaneo sudore liberatum recenset *Job. Schenckius*
lib. 3. de hydrope p. 483. Pustulae in labiis saepe
 febres tollunt, talis vero in gena prorumpentes gra-
 vem aliquando febrem sustuler, uti illud notavit *Cl.*
Dn. Praeses. Per vesiculas febrem malignam so-
 lutam fuisse refert *in lin. Med. V. Riedlinus ann. 95.*
p. 174. Ascitem vero vesicula circa umbilicum ena-
 ta & aqua profusa curatum exhibet *Job. Schenckius*
lib. 3. p. 484. Imo vesiculis in digitis pedum obortis
 aquam evacuatam reconvallescente aegro *Idem p. 481.*
 memorat. Quartanam diuturnam oborta scabie cura-
 tam observavit *Cl. Dn. Praeses.* Dysenteria vero sca-
 bie soluta legitur in *Eph. Nat. C. D. 2. A. 10. obs. 130.*
 Empyema prorumpente scabie sublatum in iisdem *E-*
phemericibus Ann. 2. obs. 146. traditur. Huc etiam per-
 tinet gravis ac diuturnae epilepsiae per variolas solutio,
 quam in illustri Persona olim notavit *b. H. Meibomius.*
 Puris post empyema per abscessus in latere excre-
 tionem observavit *Job. Borellus libr. 1. obs. 72.* Renum
 calculos excitata à natura in lumbis exulceratione vel
 abscessu expulsos refert *Job. Schenckius in observat.*
p. 523. Calculum per ulcus prope inguen emissum de-
 scribit *Stalp. v. d. Wiele lib. 1. obs. 90.* Epilepsiam per
 abscessum occipitis judicatam fuisse notat *Ros. Lenti-*
lius

lius misc. med. pract. p. 524. Anasarca per abscessum terminata legitur in *Epher. Nat. cur. p. 4. A. 8. obs. 73.* Melancholiae solutionem per abscessum in clunibus abortum observavit *b. H. Meibomius.* Cephalalgia bimestris accedente auris dextrae intolerabili dolore post ruptum abscessum evanescens notatur in *Eph. Nat. C. D. 2. A. 7. obs. 126.* Coxae dolorem abscessu sanatum observavit *Nic. Tulpius libr. 3. cap. 25.* Pleuriticos tumore inter quintam & sextam costam excitato & suppurato expurgatos fuisse memorat *Job. Schenckius in observat. p. 264.* Notabilis quoque est observatio *G. Bagliivi de praxi ad obs. redig. lib. 1. c. 13.* ubi globulum mediante sclopeto in pectus immissum per abscessum natium exeuntem notat. Neque enim per notas tantum & proximas vias materia exit, sed etiam per ignotas, ut quasi novas fabricasse videatur, id quod passim experientia docet. Et non modo in carnosis partibus, sed in ipsis quoque ossibus abscessus fiunt, & materia per angustos meatus perumpit, uti *Galenus ad Aph. Hippocr. 54. Sect. 7.* docet, *Scire, inquit, oportet, arbitrari Hippocratem, naturam semper, si sit robusta, materiae viam moliri & invenire, etiamsi quam maxime crassa sit, & per exiles transitura meatus: quando per ossa etiam abscessus fieri dicat. Sed & ipsi in purulentis, quos empyos Graeci vocant, inter thoracem & pulmonem collectum tumorem extussiri vidimus, ut sanguinem etiam per mediam cutem integram elabi interdum in iis ossibus, quae rupta porro firmanur, & occallescent.*

Obvia vero sunt Medicinam facientibus talium solutionum exempla, & frequentius occurrunt, quam vulgo id innotescit. Equidem ubi manifesta in morbis excretio vel evidens in febribus crisis fit, latere id facile non potest; quando verò insensibiliter & lenta diaphoresi sponte naturae aegritudines solvuntur, non aequè id in sensus incurrit. Forte etiam frequentius spontaneae tales medicationes notari possent, nisi per malam ipsius aegri diaetam vel intempestive exhibita medicamenta Naturae motus & conatus saepe turbarentur vel impedirentur, id quod cum in aliis affectibus, tum praecipuè in febribus ita se habet, & non male loqui videtur. *Cl. G. Baglivus libr. supr. cit. 2. cap. 12.* *Mirari desinent practiçantes, si hodie nec frequenter nec perfectè succedant crises, uti olim in Graecia, siquidem illi Graecarum legum vel ignari vel obtrectatores ex principio morbi ad declinationem usque purgantibus diaphoreticis, phlebotomiis, spirituosis, aliisque imprudenter & intempestive exhibitis medicamentis conficiunt aegrotantem, ideo impossibile est, ut humores per tam diversas remediorum seditiones distracti ad criticae despumationis negotium stato tempore disponantur; sed assiduis confusionibus agitati loco criseos perfectae in metastases praeternaturales desinant, atque hac de causa nec criseos nec dierum criticorum nec aliorum demum naturae motuum regulas ab Antiquis in febribus notatas observamus.* Accidit etiam non raro, ut quod sola natura egit, arti adscribatur, vel quod adjuta medicamentis illa effecit, solius artis opus esse credatur. Frequentius itaque spon-

spontaneas morborum solutiones fieri observamus in pueris, quibus fortia non adhiberi, nec omnia medicamenta mox rejicienda propinari possunt, tum etiam in adultioribus, qui ad remedia nauseant, vel obrem angustam domi Medicina uti non possunt, in foeminis item, quae foetum utero gerunt, aut quibus menstrua fluunt, & hinc non quaevis remedia admittunt.

§. XIV.

Sed videamus nunc rationem quâ salutare hi motus, & materiae morbificae excussiones ex corpore nostro contingunt. Sunt qui mera quadam mechanica vel corporeae structurae beneficio haec omnia peragi volunt; sunt alii, qui mechanicum quidem artificium concedunt, sed simul intelligentiam quandam naturae tribuunt, vel residere in corpore nostro ens sive principium quoddam vigil providumque existimant, quod tales evacuationes efficiat. Equidem cum excretiones naturales saepe cum insigni aegrorum levamine fiant, & quidem ita, ut à sapienti quodam consilio haud raro profectae esse videantur, non injuria dubitari potest, an soli corporis mechanismo haec adscribenda sint, an vero quid rationale, sive ens quoddam intelligens hîc subsit, quod ejusmodi operationes efficiat, aut saltem dirigat. Accedit etiam imaginationem haud parum ad excretiones concitandas facere, imo illam aliquando solam efficere, quod alias stimulus naturalis vel artificialis facere solet, uti vel ex eo evidens est, dum purgatio in quibusdam contingit, ubi alios assumere purgantia vident, licet

C 3

ipfi

ipsi nihil acceperint, quod à sola phantasia sine dubio
 dependet. Et haemorrhoidum fluxus, qui spontaneus
 esse solet, exemplo singulari factus est voluntarius ap.
Panarolum Pentec. 2. obs. 47. in sene quodam, cui cum
juveni haemorrhoides salutariter fluxissent, ex iteratis acti-
bus motus naturalis in voluntarium conversus est, ut po-
tuerit dein, quotiescunque se male haberet, sanguinem pro-
lubitu nunc majori nunc minori copia excernere. Ra-
 rius tamen tale quid contingit, & de haemorrhoidali
 quidem fluxu notissimum est, illum non cogitantibus
 ut plurimum supervenire. Et infantibus, imo insciis
 propinata purgantia etiam secessus movent, & plerae-
 que, quae sponte naturae fiunt evacuationes, citra prae-
 scitum hominis contingere solent. Phantasia vero &
 animi affectus ad excretiones, quae à causa naturali
 vel artificiali excitantur, concurrere, easque adjuvare,
 consuetudinis etiam magnam hinc vim esse, dubium
 non est. Sed si provido quodam consilio hic Natura
 agat, per commodas & convenientes tantum vias ma-
 teriam noxiam sine dubio excludet, ast contrarium fie-
 ri observamus, quando per tales quoque vias id non ra-
 ro contingit, per quas sine periculo fieri non potest,
 e. gr. si plethoricis vasa pulmonum sanguinea aperian-
 tur, ubi levamen quidem ad tempus percipitur, gra-
 vius tamen pulmonum substantia laesa saepe dein nas-
 citur malum. Et evacuationes, quae criticae & saluta-
 res primo intuitu esse & morbi terminum promittere
 videntur, majus non raro postea producant malum,
 uti si haemorrhagiâ narium Natura morbum solvat, po-
 test illa tam enormis fieri, ut occidat, vel alium etiam
 gra-

gravem affectum concitare, quale quid in juvene quondam notavimus, cui maligna febris per copiosam narium haemorrhagiam feliciter soluta erat, quae tamen lethalis dein phthiseos autor fuit, Eodem se res habet modo cum haemorrhoidum fluxu, qui si moderatus sit, non parum commodi corpori praestat, & non praesentes modo aegritudines tollit, sed & imminentes praecavet. Ast idem, qui per aliquod tempus salutariter fluxit, noxius aliquando & lethalis dein evadit, uti id evenit Jac. Horstio hujus Acad. quondam Professo-
 ri Medic. referente *Greg. Horstio lib. 4. obs. 52. Expe-
 rientia, inquit, testatur, non paucos etiam si per annos ali-
 quos subleventur hoc morbo, tandem eodem interire quem-
 admodum observatum fuit in patruo meo p. m. Jac. Hor-
 stio, qui inordinato hoc fluxu succumbentibus viribus vi-
 tam cum morte commutavit.* Facit huc etiam observa-
 tio notabilis quam in operat *Chirurg. habet. Hier. Fabr.
 ab Aquap. de urin. suppress.* de viro quodam, cui febris
 continua per alvum & urinam soluta erat, sed urina
 magna copia ad vesicam fluente, resolutis ejus trans-
 versis fibris, gravis ejusdem suppressio nata est, quae
 ipsam mortem inducere potuisset, nisi instrumento
 quodam succurrisset Aquapendens. Eodem vero se
 res habet modo cum aliis excretionibus sponte natu-
 rae obortis, utilibus interdum, interdum noxiis; &
 symptomaticae ac noxiae excretiones non minus fre-
 quentes sunt, quam criticae ac salutare, uti id expe-
 rientia toto die ostendit. Anne igitur hoc est consul-
 to, aut sapienter agere? aut quale hoc consilium est,
 à morbo liberare corpus, ut in graviolem deinde
 prae-

praecipitetur, vel ipse interitus hoc modo accersatur?
 Et vero rectam philosophandi rationem non parum
 perturbari, si ea, quae menti conveniunt, in res natu-
 rales & mere extensas transferantur, cordatiorum
 hodie sententia est. Hinc bene loqui videtur P.
Neucrantiuz libr. de purp. p. 171. *Etsi naturae admi-
 randas actiones quotidie videamus, quae ipsa sibi per se*
αὐτερεῖται τὰς ἐφ' ὅρας ἀπαίδευτος ἔβου καὶ ἔμαθ' ὅσα τὰ δέοντα
ποιέει *di-vini senis oraculo 6. epid. sect. 5. text. 2. quam*
naturae prudentiam admirandam in hujus loci commentariis
Galenus & Palladius Sophista allegatis pulcherrimis exemplis
*demonstrarunt, naturae tamen ista cognitio ultra sua princi-
 pia extendenda non est, neque arbitrandum eam ἐκ ἀεὶ*
*αἰρέσεως, aut ex διανοίας, seu consilio quodam, ut l. c. Hip-
 pocrates loquitur, agere, cum rationem non habeat, ne-
 que per cogitationem quicquam operetur, neque à proposi-
 tionibus ad conclusionem proficiscatur, ut docet Palladius*
*in adducti textus commentariis. Idem etiam sentit An-
 gliae quondam suae decus Tb. Sydenhamius sect. 11. de*
morb. acut. p. 150. ego inquit, quoties naturam nomino,
*toties causarum naturalium quendam complexum signifi-
 cari volo; quae quidem causae brutae licet atque omni*
consilio destitutae, non tamen sine summo consilio reguntur,
*dum suas quaeque operationes edunt, suosque effectus ex-
 sequuntur. Nimirum supremum illud Numen, cuius vi*
producta sunt omnia, & à cuius nutu dependent, infinita
sua sapientia sic disponit omnia, ut ad opera destinata se
certo tempore quodam ordine ac methodo accingant, neque
frustra quicquam molita, neque nisi quod optimum est, ac
toti rerum fabricae suisque privatis naturis maxime ac-
 com-

commodum, ex sequentia, perinde atque automata non pro suo sed artificis consilio moventur

§. XV.

Nulla adeo intelligentia Naturam praeditam esse putamus, sed illam agere ex necessitate quadam, aut vi legis, ad quam corpus nostrum a summo Creatore compositum est; non secus ac horologium certos effectus edit ad intentionem artificis sine ratione vel intelligentia, juxta legem scilicet, ad quam semel constructum est. Neque hominis consilio naturales materiae morbificae excussiones fieri probabile est, cum is ut plurimum ignarus sit eorum, quae in proprio corpore hinc geruntur, & materia inutilis ac nocitura frequenter expellatur, antequam eam adesse sciat, vel qualis sit, cognoverit, saepe etiam per tales vias evacuetur, per quas minime vellet & sine periculo transmitti nequit, uti supra dictum est; & cum mechanicae causae, uti mox videbimus, has excretiones maxime variant, augeant, impedian, immutent, non alius etiam quam mechanicus earum effectus esse videtur nulla intelligentia directus. Et vero non intelligimus, quare ad has operationes consilio magis opus sit, quam ad illas, quae continuo in nobis & vigilantibus & dormientibus, insciis aliaque cogitantibus contingunt & ad conservationem corporis pariter faciunt, nutritionem scilicet, circulationem, respirationem. Sed si mentis & rationis experta Natura sit, mirum est, talia in corpore nostro

D

stro

stro contingere, quae non tantum maximam sapientiam produnt & sine ratione fieri non videntur, sed etiam qualia sint, sine summa ratione intelligi non possunt. Haec vero in notitiam ipsius Artificis nos deducunt & sapientissimi Creatoris digitum plenissime commonstrant; etsi enim a fabrica corporis talia dependeant, interiorem tamen & abstrusam illius mechanicam & summum illud artificium, quo singula formata sunt & cohaerent, suosque effectus producunt, accuratius perspicere in tanta mentis nostrae caligine difficillimum est.

§. XVI.

Mechanica igitur quadam ratione videntur fieri excretiones cum praeservatoriae tum curatoriae, ob stimulum scilicet aliquem partibus sentientibus a materia excrementitia impressum. Ita enim pleraeque nostri corporis partes a divino Opifice sunt formatae, ut dum earum fibrae musculosae partesque nerveae vel a copia vel vitiosa quadam peccantis materiae qualitate distenduntur aut irritantur, ob spiritus animales hinc praeternaturaliter commotos & uberius affluentes illae contrahantur arctius & sic ejiciant humores noxios, vel quicquid irritationem facit, tum per proximos & patentes canales atque cavitates, tum etiam per remotiores, imo insuetas & incognitas aliquando vias, prout scilicet ipsa materia excercenda, corporum diversa in individujs structura, aliaeque circumstantiae se habent.

habent. Deus enim non tantum solidas partes iusta figura, situ, ordine fabricavit, ita ut ad actiones naturales edendas & transmittendam materiam morbificam idoneae existant, sed etiam momentia quaedam, sanguinem spiritusque addidit, quorum impetu & continua agitatione illud, quod morbosum vel inutile est, fecernitur & tandem eliminatur. Ipsi etiam canales, qui materiam nocentem trajiciunt, fibris artificiosissime donati sunt, quibus fluido illo concurrente sive spiritibus influentibus, se contrahant, moveant, & sic contenta propellant. Ita mediantibus hisce excretionibus quicquid nociturum vel jam noxium est, continuo ex corpore eliminatur & sic corruptio ejus sive putredo impeditur, sanitas conservatur & amissa valetudo recuperatur. Mechanismus vero talis excretorius in corpore vel ipsis sensibus aliquando est obvius; uti si oculis acris quidam liquor vel pulvis admoveatur, fibrae membranarum & ductuum lachrymalium irritantur, quo facto aliqualis earum fit contractio & sic expellitur fluidum contentum sive humor lachrymalis; idem vero etiam efficit interius ex corpore acris quidam humor ad oculos derivatus. Eodem se res habet modo cum sternutatoriis membranae narium admotis, vel acri materia ad nares fluente. Et non absimili ratione plurima medicamenta, vomitoria purgantia, masticatoria, agere videntur, imo vesicatoria, quae vulgo humores trahere dicuntur;

cum nulla hic subsit tractio, sed ob irritationem ab acri adhibito factam fibrarum quaedam fiat contractio & sic humidi expulsio. Quod vero ars per talia remedia efficit, idem etiam materia acris & vitiosa in corpore genita praestat, & similes excretiones producit. Evacuationes vero naturales fieri tamdiu in corpore solent, quamdiu sensus in partibus superest, fibrae scilicet impressum stimulum sentiunt & contrahi possunt, spirituumque in illas influxus naturaliter contingit; hinc moribundis vesicatoria admota nihil agunt, cum spirituum vigore & influxu sensim cessante, nulla amplius fibrarum fiat contractio.

§. XVII.

Solidae sic partes cum fluidis concurrunt & inter se conspirant ad expellendum id, quod corpori molestum & noxium est, juxta legem illam, quae primitus indita est. Innumerae vero causae esse possunt, quae naturales hos motus impediunt, aut retardant, augent vel promovent. Et vero solidae partes, quae & materiam noxiam transmittunt & mediante fibrarum contractione illam eiciunt, ut diversimode constitutae sunt, ita excretiones facilius vel difficilius contingunt; hinc ad sudores &c. quosdam magis vel minus pronos deprehendimus. Consuetudo etiam hic aliquid potest, & quas partes aliquoties materia transiit, illas dein facilius penetrat, uti catarrhi priores sedes

des

des facile repetentes nos edocent. Fluidarum hinc partium, spirituum scilicet & sanguinis ratio haberi debet, & si notabilis spirituum vigor, sanguinisque motus fortior sit, expulsionem quoque materiae noxiae expeditius fieri solent, quemadmodum in juvenili aetate id experimur. Ipsa vero materia excernenda etiam hinc considerari debet, pro varia enim constitutione ac indole prompte vel aegre excluditur. Ita si humor excernendus crassus, viscidus & tenax fuerit, difficulter expellitur & impeditur saepe excretio, quae alias in salutem aegri fieri posset; quod magis etiam contingit, si viae, quas transire debet, angustae sint, spirituum vigor sanguinisque motus debilis existat. Contrarium vero notamus, si humor tenuis mobilis & acris sit, viae patulae deprehendantur, spiritus vigeant, & sanguis motu vivido per corpus feratur; tum enim saepe nimia fit & symptomata excretio. Per alimenta assumpta & medicamenta exhibita promoveri evacuationes, quas natura molitur, notissimum est; eadem vero illas frequenter etiam sistunt seu impediunt, quatenus vel in solidas vel fluidas partes agunt, vel in ipsam materiam eliminandam. Alia enim vias stringere, ut quaedam adstringentia, alia spirituum motum sedare, ut opiata, alia materiam increassare videntur, ut ad exitum minus prompta sit. Ad diversas etiam vias trahitur aliquando humor, quem natura ejicere conatur, ut si purgans propinetur,

illa ad sudorem inclinante, quo vel maxime spontanei motus impediuntur. Externa porro hic aliquid possunt, uti aer, qui totum corpus non modo ambit, sed & continuo ingreditur, & prout varie se habet, ita etiam hos effectus aliquantum variat & immutat. Si enim calidus & tenuis existat, sanguinis & humorum motum augendo & partium poros aperiendo, excretiones naturales promovere solet. Frigidus vero & crassus humores inspissando & poros constringendo, impedit magis has evacuationes. Hinc verno & aestivo tempore saepius fieri spontaneas excretiones animadvertimus, quam hyberno. Et eadem causa est, quod crises olim in Graecia frequentius fuerint observatae, quam hodie in nostris regionibus. *Aer enim, uti Cl. G. Baglivus lib. supr. cit. 11. cap. 12. docet, talibus regionibus circumfusus & orientali plagae proximus cum ingenti praeditus sit puritate tenuitateque, non solum vina & reliqui telluris fructus perfectam maturitatem cito & feliciter attingunt, verum etiam ipsa sanguinis massa crassioribus & impuris aeris particulis non foedata, sed summa gaudens agilitate puritateque a morbosis particulis, quibus febriliter effervescit, per institutas naturae crises celerius liberatur, quam non fit in aere crassiore, paludoso & frigido. Igitur quo regio erit calidior, anni tempus pariter calidum & aer circumfusus tenuior & purior, eo citius perfectiusque absolventur crises in morbis acutis. Imo alias etiam causas variare crises, per observationes repetitas se*
 anno-

annotasse, ibidem testatur. *Didici, inquit, quod crises, licet sint constantes naturae motus, variare tamen soleant, prout variae sunt medendi methodi, varia anni tempora, regiones, vitae genus; temperies aegrorum & aetates &c.* Sed videamus nunc denique paucis de imaginatione animique affectibus, & quidem de illa jam tum supra aliquid dictum fuit, maxima enim ejus in corpus nostrum potentia est & ad varias actiones atque functiones aliquando concurrat, easque promovet vel impedit, licet eadem sine hac etiam perficiantur; simili igitur modo circa evacuationes naturales se habet & aliquando efficit, aliquando illas auget vel sistit, ordinario tamen adesse non videtur, cum saepissime in insciis etiam contingant. Animi affectus, ira, terror &c. aliquando etiam producunt, saepe promovent vel impediunt has excretiones, sine his tamen etiam, in iis scilicet, qui tranquillam mentem gerunt & nullis passionibus turbantur, eadem contingunt. Ira in quibusdam vomitum, in aliis diarrhoeam, aliquando etiam alias excretiones producit, & si naturae stimulo fiant, augere illas ut plurimum solet, fluidorum motum accelerando; terrore vero illas impediri & sisti frequenter observamus.

§. XVIII.

Solutiones igitur morborum, quas hactenus consideravimus, cum & sponte naturae fiant & a mechanica corporis structura dependeant, recte vocamus

camus

camus naturales, quae vero arte administra contingunt, Medico officium faciente, artificiales appellari solent, quasi sola ars illas produxerit. Sed si rem ipsam consideremus, & haec naturales dici possent, cum & hinc natura agat, & sine illa nihil Artifex efficiat. Haec enim a medicamentis incitata talia ut plurimum efficit, quae soli arti adscribuntur, & Medicus impedimenta removendo, stimulando, adjuvando naturam, facit, ut illa insurgat, suumque officium peragat, noxia excludat &c. Natura vero non agente, Medicus operam & oleum perdere solet, & praestantissima pharmaca nihil efficiunt, valida vomitoria, purgantia humores non expurgant, bezoardica sudores non movent. Et vero saepissime in morbis experimur, remotis tantum impedimentis naturam sponte suum officium facere & materiam peccantem per has vel illas vias eliminare. Varia autem sunt, quae impediunt, quo minus illa suis legibus agere, excretiones facere, morbosque tollere possit. Consideremus nunc tantum vitiosorum humorum saburram & sanguinis nimiam copiam, quae frequenter id praestant. Sane vasis nimia sanguinis quantitate repletis vel distentis, excretiones naturales passim in corpore impediuntur, uti id experientia frequens docet; sanguinis vero aliqua parva detracta & sublato sic impedimento feliciter officium natura saepe facit & evacuatio salutaris sive critica contingit. Id quod evidenter cernimus in variolarum curatione, quando instituta in plethoricis

ve

venaesectione prompte non raro papulae prorumpunt, quae difficulter antea expellebantur. Haec autem extrudere variolas nequit; sed dum a nimia sanguinis quantitate corpus liberat, & onus, quo natura premebatur, aufert, facit, ut illa agere & contrahentibus se jam melius fibris, facilius expellere illas possit. Simile quid in febribus notamus, dum post sectam venam copiosi & critici sudores frequenter erumpunt; nec extrahendo sanguinem Medicus hic febrem tollit, sed obstaculo, quod naturae actionem morabatur, remoto, criticam excretionem promovet. Eodem se res habet modo in aliis nonnunquam morbis, & notabile exemplum de urinae suppressione ex nimia vasorum repletionem orta suppeditat *Laz. Riverius obs. 1. centur. 1.* ubi aliis remediis incassum adhibitis venae sectio larga urinae fluxum protinus effecit. Neque vero sanguis emissus urinam immediate pellit, sed distensione venarum, quae contractionem fibrarum in vesica, & sic excretionem lotii impediabat, sublata, natura solitum officium peregit, uti alias etiam observamus, nimia quantitate urinae in vesica existente, naturalem evacuationem fisti. Eadem fere res est cum purgantibus, quae in plurimis morbis commendantur, non quod illos semper auferant, sed quod vitiosis humoribus functiones corporis laedentibus expulsis, natura dein juvet. Evidens hoc non raro est in mensium suppressione, quando vel uno purgante exhibito illi solitas vias aliquando repetunt,

E dum

dum scilicet crassis viscidisque humoribus in corpore haerentibus & excretionem hanc impredientibus ejectis, natura iterum agit & salutarem hunc foeminis fluxum consuetis legibus movet. Imo coctionem ventriculi sive digestionem quando restituere studemus, nihil interdum aliud conamur, quam ut impedimenta removeamus, crassos, viscidos biliosos & similes hinc peccantes humores corrigamus & educamus, sic enim natura iterum libera ciborum in ventriculo dissolutionem sive digestionem peragit. Dum igitur in non paucis morbis impedimenta tantum removevet Medicus, facile apparet, naturae operationem tum maxime requiri: in aliis quidem affectibus diversa ratione incedere, variisque modis naturam juvare cogitur, illa tamen ubique etiam agat, necesse est, & sine hac felicem eventum non unquam assequimur. Hinc bene *Fr. Vallesius 5. in 6. Epid. Ars*, inquit, *cum recte operatur, juvat naturam adversus morbos. Nam cum sanitas non sit res quaequam artificialis, sed naturalis, non possit ab arte fieri sed a natura, possit vero ars suis instrumentis naturam juvare, quod optime significavit Hippocratis lib. de alimento, dicens: Natura juvat omnia omnibus &c. Itaque natura prima & maxime sanitatem reficit, & morbos demolitur, Medicus vero est naturae minister & Medicina ars ministrandi naturae.* Pergit dein ibidem, *ars multa facit, sed nihil perficit, neque ullus morbus potest opera solius artis persanari.* Morborum igitur solutiones, quae arte ministra, sive interveniente Artifice fiunt, etiam naturae opera

ra

ra censerī debent, & sic etiam solutiones naturales non male forsan vocari possunt. Imo ipsa curatio morborum medica nihil aliud nobis esse videtur, quam naturae a Medici prudentia adjuncta & directa operatio.

§. XIX.

Videamus nunc denique paucis, quomodo circa naturam se gerere Medicus, & qua via incedere, si morbo eam oppugnari contingat, teneatur. Cum autem haec propriis viribus non raro aegritudines tollat, saepe, licet a Medico adjuncta, tamen maxime agere debeat, & sine illa nihil ars possit, facile apparet, omnes ejus motus regulasque, quibus ad solvendos morbos utitur, sedulo esse attendendas, ut convenienter juxta illas tractari queat, & quid faciendum sit, exinde innotescat. Hinc bene *Galenus de V. S. contra Erasistratum* quodam in loco scribit, *Medicus animadvertere debet naturae expellentis conatus omnes, si ve ex se non irritata quidquam faciat, si ve a causis morbificis impulsā: hos quidem ut sinat nec interpellet, illos autem, ut sicubi deficiat natura, suppleat ille defectum, aut si prorsus non appareat agere, nihil quippe proficiens impedita, ut ille vices subeat.* Sola enim non raro Natura sibi sufficit ad corrigendam & eliminandam deinde materiam morbificam per consuetas & insuetas etiam vias; aliquando vires non deficiunt, obstacula vero adsunt, quae agentem impediunt; frequenter autem illa agit & cum morbo pugnat, vires tamen ad perficiendum opus desunt & hinc Medici auxilium im-

plorat; aliquando sibi relicta plane non agit, nisi artifex accedat, tum vero dein rem absolvit; adjuta denique & excitata etiam saepe non agit, sed viribus deficientibus morbo succumbit.

§. XX.

Equidem naturam solam aliquando morbos tollere, vel ex superius adductis exemplis abunde patet, & rem ita se habere, tum in chronicis morbis, tum vero maxime in acutis affectibus, experientia edocemur. Hinc, uti testatur *G. Baglivus tr. supr. cit. lib. 2. c. 12. Hippocrates & conterranei Graeci adeo religiose naturae motus prosequerentur, ut in curandis febribus pauca admodum remediorum genera praescriberent, ne per illa inopportune forsitan data moderamen interni Rectoris conturbarent.* Sane in acutis febribus, remotis tantum, si quae erant, impedimentis & praescripta convenienti diaeta, paucissima eum usurpasse remedia, naturae vero reliqua commisisse & otiosum spectatorem ejusdem actionem sive crisin expectasse, ex libro de diaeta acutorum edocemur. Quando igitur ipsam naturam sufficere, viresque ad pellendum morbum integras esse, animadvertimus, vix indigemus aliquo externo auxilio; quid enim opus est opitulatore, cum illa par sit vincendo morbo? sed haec non nisi ex accurata fabricae animalis & naturalium motuum cognitione innotescere vel dijudicari possunt. In exemplo sint iterum variolae, has propriis non raro viribus natura ita expellit, ut adjumento arti-

tifi-

tificis vix indigeat: est vero, ubi stimulo, est etiam, ubi fraeno opus sit, quale quid praesens Medicus iudicet necesse est, neque haec ab aegro vel adstantibus determinari queunt. Hinc bene *Fr. Valesius comment. ad aphor. 20. sect. 1. Non minoris, inquit, imo multo maioris artis est, scire, quo tempore nihil agendum sit circa aegros, quam quo agendum.* Et magis aliquando peccare videtur, qui agit, ubi non debebat, quam qui facienda omittit, hoc enim modo naturae negotium committitur, illo naturae repugnatur; Turbari enim haec facile in suo opere potest, si intempestive remedia adhibeantur, quae vel excretionem sistant, vel nimis promoveant, vel eo ducant, quo ipsa non tendit.

§. XXI.

Nec male tantum faciunt, qui, ubi non opus est, medicamina administrant, sed etiam qui nimia copia illa propinant & naturam quasi obrunt, in quos jam *Galenus* invehit *1. dieb. crit. 11.* qui scilicet *nuspian* sibi magis placent, quam ubi aegrum cumulo medicamentorum degravant. Peccare enim hic facile potest officiosa manus, dum salutem promovere aegrorum studet, irritata enim continuo per medicamenta natura proprio officio saepe non fungitur; juvanda quidem illa, sed non delasanda est. Et bene *Joh. Henr. Meibomius Archiater olim Lubecensis* in *Msto quodam*, magno errore, inquit, non exigua *Medicorum pars* tenetur, qui of-

ficio non rite fungi se autumant, si non quovis ad aegrotos accessu vel novi quid praescripserint, vel devorandum obtulerint, venamve pertulerint, aut aliud quidpiam circa aegrum dixerint. Non cogitantes, naturam non semper fatigandam medicamentis, sed aliquando sibi relinquendam. Illa morborum est medicatrix & ministrum habet Medicum, qui nec recte operantem turbare, nec defatigatae remissionem negare debet. Multi magni morbi, inquit C. Celsus, quiete & abstinentia curantur: & saepe, ut Livius, quanquam non Medicus, satis medice tamen lib. 22. ait plus interdum Medicos quiete, quam movendo atque agendo proficere. Unde locum hic habet, quod de melancholicis asserit Aetius Tetrab. 2. serm. 2. cap. 10. Operae pretium est nosse, quod aegrotantium multi curationis tempore nihil commodi percipientes curatione dimissa fuerint restituti, natura ante curationem praevalente contra morbos debiles a medela factos; quapropter, inquit, naturae remissionem dare oportet. Habent vero haec imprimis in chronicis morbis locum, ubi diu scilicet, remediis agendum est, & sunt qui 8. vel 10. dierum inducias talibus aegris aliquando indulgent, quibus nihil medicamentorum assumant, ut natura se recolligere & dein melius sive fortius contra morbum agere possit.

§. XXII.

Neque vero in omnibus morbis quiescere aut nihil agere Medicus debet, plurimi enim sunt,
qui

qui opem & adjumentum ejus quam maxime desiderant, & in illis quoque, ubi vel sola natura opus frequenter absolvit, impedimenta tamen removere & per institutam commodam diaetam sic etiam naturae actionem promovere solemus. Saepissime vero illa agit & cum morbo pugnat, sed sola ad superandum eum non sufficit, Medici igitur auxilium implorat, qui & impedimenta removeat & adjumenta variis modis praestet. His morbis profligandis omnis Medicorum industria occupatur, & si vel hos aliquando natura solvat, rarissime tamen id contingit, & hinc Artifex tale quid sperare vel expectare non potest. Omnes igitur naturae conatus, omnes ejus motus in morbis quam diligentissime attendere & scrutari debemus, ut quo illa tendat, quo inclinet, quibus in locis se liberare moliatur, eo ducamus, ejusque nisus promoveamus. Bene enim agentem naturam nos sequi & imitari debere, in scriptis suis passim *Hippocrates* docet, & *aph. 21. Sect. 1. quae educere*, inquit, *oportet, quo maxime vergunt, per loca convenientia ducenda sunt.* Indicia quidem, quo natura vergit, aliquando non obscura sunt, uti si vomitu e. gr. opus sit, anusea, ructus non raro quid faciendum, monstrant; molitur hinc illa opus & ad expellendam materiam, quae molesta est, insurgit, sed vires, quibus id peragat, non habet, Medici adeo auxilium requirit. Si igitur natura opus incipiat & convenienter agere videatur, stimulum,

si

si necesse sit, merito addimus, eamque ducen-
 tem & rite operantem sequimur; nec, si ad ambi-
 tum corporis vergat, ut in erysipelate, morbillis,
 per alvum materia expurganda, vel ad alias vias
 temere praecipitanda & vis illi inferenda est. Sed
 si natura negotium non inchoet, nec quo incli-
 net, ostendat, Medicus per loca convenientia du-
 cat, necesse est, hinc *Avicenna* alicubi ait, *si na-
 tura non moveat, move tu motu ejus.* Quo vero du-
 cenda sit materia morbosa, ex observatione solu-
 tionum, quae spontè naturae fiunt, potissimum
 edocemur. Sic in pleuritide non alium solvendi
 modum, quam qui per expectorationem contin-
 git, ordinario eligimus, cum utplurimum ipsa na-
 tura hanc viam ingrediatur & ita pus in pectore
 contentum eliminat, quod si tamen hoc non rite
 processerit, & ex signis colligamus, naturam alio
 vergere, sive per alias vias ejectionem materiae
 morbidae moliri, per has, quas ipsa indigitat, po-
 tius evacuabimus. Ita exemplum feliciter solutae
 per alvum pleuritidis olim notavit *Cl. Dn. Praeses;*
 cum scilicet expectoratio ex voto non fieret, tor-
 mina vero ventris & excretio quaedam purulentae
 materiae aliam viderentur viam indicare, clysteri-
 bus aliisque convenientibus usurpatis effectum est,
 ut intra 24. horas pus in pectore haerens per di-
 arrhoeam feliciter excerneretur. Si qui porro
 fuerint naturae motus, quales sint, respicere Me-
 dicus debet, & nunc fraeno nunc stimulo usus,
 ni-

nimios ac turbulentos pacare & cohibere, languidos promovere, insufficientes supplere, aberrantes a via in illam reducere, inordinatos reddere ordinatos, imperfectos facere perfectos &c. conabitur. Junctis hinc cum natura viribus operatur Medicus, hanc igitur ubique observare, si non debite agat, incitare, si praeter solitas leges, corrigere, modo addendo, modo subtrahendo, si alia quaequam adjumenta desideret, sollicitè ea adhibere tenetur.

§. XXIII.

Imo sunt morbi, ubi natura sibi relicta plane non agit, Artifice vero officium faciente dein insurgit & negotium perficit, quale quid e. gr. in luxationibus deprehendimus; luxata enim membra non reponit natura, sed manus Artificis desideratur: his vero repositis, illa tendines retrahit ac ligamenta iterum firmat & sic opus absolvit. Sunt praeterea alii, ubi nec incitata omnique ratione adjuta natura rite agit & tum quidem illa morbo succumbat & homo moriatur, necesse est. *Repugnante enim natura, uti Celsus loquitur, nihil Medicina efficit.* Videmus vero idem etiam contingere in vilioribus artibus, agricultura, horticultura &c. nec invita natura quis hinc feliciter progredi aut optatum assequi finem potest. Et simile fatum experitur Hortulanus, coelo non favente, vel ineptum plane colendo agrum, &

Pro molli viola, pro purpureo hyacintho,
Infelix lolium & steriles dominantur avenae.

F

Mul-

Multum quidem ars valet & perita industria, dummodo natura aliquantum juvet vel officium faciat, sed illa repugnante etiam hinc nihil fit.

§. XXIV.

Pluribus vero haec exponi possent, si instituti ratio id ferret, nec iam allata fatis docerent, quantum haec consideratio ad ipsam medendi scientiam faciat. Natura enim sui iuris est, nec ingeniis addicta nostris, & motus suos occultis quidem non raro, certis tamen legibus ut plurimum exsequitur. Has igitur notare & meditari quam diligentissime debemus, ut inde vera medendi ratio innotescat; ad has omnia in corpore nostro moderari naturae minister Medicus debet; vult enim haec duci non cogi, flecti non frangi, nec quicquam temere illa invita aut repugnante faciendum est. Haec vias, quibus ejici morbida materia debeat, commonstrat; haec tempus & modum, quo in eliminando peccante humore uti deceat, nos docet: ejus accurata cognitio salutaria in medendi arte praecepta suppeditat, & convenientia quoque remedia indicare solet. Huc vero omnis Medicus scopus, huc redit labor actus in orbem, ut ab injuriis natura salva maneat, nec morbis unquam succumbat; uti enim *Galenus lib. 3. de crisi cap. 5.* afferit, *illa ubi dominatur ac vincit, hominem necesse est conservari.* Et haec de Naturae viribus nunc dicta sufficiant, Deo vero immortalis ejusdem Auctori & Conditori sapientissimo gratias pro praestito nobis auxilio agimus devotissimas.

FINIS.



Egisti flores medicos, modo scandis ho-
nores.

Mlba propinqua, fave, maxime Doctor, ave.
Scis bene naturas, tribuat tibi gloria curas,
sic medicata seras, ut bona sana feras.

Mximius, clarus, cunctis sis tempore carus.

Zunc inimica ruant, prospera quæq; fluant.

LESEN, longævum Numen conservet in ævum;

LESE, colendo solum, commereare polum.

*Hls Neo Doctor I faVßa præCAtVr
IntlMe.*

LVDOVICVS RICHEMONT, Hamb.
Abbatia Huysburgensis Capi-
tularis.

Multis invisus, dignus sed pluribus esto
Virtutis premio, clara hoc solertia iussit.
Magnas naturæ vires defendis, Amice,

F 2

Omni-

Omnibus hæc volvat dubias sententia men-
tes,
In Te perpetuo præstans natura valebit.

*Pauculis hisce clarissimo atque do-
ctissimo Candidato de acquisitis
honoribus gratulari, sui que me-
moriam commendare voluit*

ERNEST. CHRISTIAN DE LENGERKEN
Opponens.

Was die Natur vermag in Heilung
unsrer Glieder/
Zeigst du/geehrtster Freund/ mit die-
sen Blättern an;
Dafür giebt Julia Dir höchst erfreuet
wieder
Die grosse Doctor-Würd auf ihrem
Lust-Althan.

Jch

Ich wünsche Glück dazu: Gott geb Dir
langes Leben!
Verbleibe dem geneigt/ der sich Dir
ganz ergeben.

Mit diesen wenigen hat seinem
hochgeehrten Herrn Tisch-
genossen gratuliren wollen.

ARNOLD CHRIST. BEUTHNER. Hamb.
Opponens

Lebe/ theurster Musen-Sohn! Lebe/ wehrter Herr
von Lesen;
Es bekröne Dich der Himmel! Er beschütze Dich mit
Macht.
So wird stets dein Nahme blühn; So wird seyn dein
muntres Wesen
Ein erspriessliches Bedeyen Einem der Dich hält
in acht/
Nicht nur bey gesunden Tagen/ Nein/ wenn Krafft und
Safft verzehren
Die der höchste uns ertheilet. Dieses schreibet jetzt zu
Ehren

Seinem hochgeehrtesten Gönner und
Tischgenossen.

JOHANN CONRAD SOSTMANN Mind.
S.S. Theol. Cultor.

F 3

O mi-

O mihi post ullos nunquam memorande
sodalis,

O cui jamdudum junctus amore fui,
Livor quid cœcus, quid spumans ira furorq;?
Dicas ingenue; En nihil efficiunt!
Istud demonstras exemplo, hinc accipe lætus,
Quæ meritis dudum, vota decusq; tuum.
Hic, ubi frondosæ lauri redolentis & instar
Virtutis semper præmia digna vigent.
Sis fortunatus! maneat Epidaurius arte
Phœbea, fervor quam capit ingenii;
Et repetens demum patrias sedes pede fausto,
Esto memor fidi tempus in omne

Tui

JOH. HENR. BEVTHNERI Hamb.

S. S. Th. Stud.

E commensalium numero.

Non

Non admiramur speciosi lumina solis,
In magno magnum dum gerit orbe
jubar;
Sed nos magna tuæ rapit admiratio laudis,
Dum vis in parvo corpore magna mi-
cat.

*Ita Nobilissimo, Doctissimoq; Domino
von Lesen Fautori & amico
suo æstumatissimo aggratulatu-
rus.*

apposuit artis Istius Medicæ seCtator

LVD OV. ERNEST. SCHVLTZE Helmst.
Opponens.

Illis, qui s̄veti studiis intendere mentem,
Nunquam sic reuuit præmia iusta Themis.
Tu quoniam, DOCTOR, sequeris vestigia
clari
Patris, Doctorum jam tibi mitra datur.
Gra-

Gratulor ex animo summo Doctoris honore,
Quo te promeritum Julia docta beat.
Applaudunt multi, FELICITER! apprecor ipse:
Sis FELIX semper, sis patriæque decus,

*Hæc pauca amico suo honoratissimo
ac commensali suavissimo appo-
nere voluit.*

J. RITTER, Vallerslebio · Cellensis
SS. Th. Stud.

Naturæ miras recte cognoscere Vires,
Hoc labor, hoc magnæ dexteritatis opus.
Has quia cognoscis, docteq; tueris, Honorem
Summum, quæq; cupis præmia, lætus ha-
bes.

Hac de lætitia dulci Tibi grator, & opto:
Succedant Votis Fata secunda Tuis.

*Hæc Nobilissimo & Doctissimo Domino
Candidato, amicæ gratulationis
causa scripsit.*

JOH. FRID. Schlecker Halberst.
Opponens.

☞ (o) ☞